

4. Laberiana.

Nulla in codicibus nostris scholia in Martialis Epigrammata. Nec unquam, quos non solerent praelegere tumidi rauca voce magistri, interpretes nacti videntur lascivissimi libelli nisi introrsum vocales suoque acumini tacito in sinu plaudentes. Praeterquam quod in recentissimis aliquot Itatorum codicibus glossulae quaedam appictae sunt, aliorum margines Domitii Calderini commentariis oppleti. Quo magis mirari subit, unum tamen locum aliunde non cognitum in ora aliquot codicum felici casu conservatum fuisse ad illustrandum epigrammate VI, 55. X, 98. XII, 65. commemoratum *Nicerota*, et eum locum insignis poetae, *Dec. Laberii* mimographi. Codices ipsi nunc aut delitescunt alicubi aut perditii sunt: testes habemus duos ex diversis fontibus eadem promentes, *Domitium* et *Iannum Gruterum*. Quorum alter in Notis suis ad epigr. VI, 55. p. 38. edit. Scriver. haec posuit: „*Nicerotiana* quis non novit? meminit eius vocis etiam poeta Laberius in versibus molliculis, quos nondum arbitror publicatos; certe non comparent inter Fragmenta Poetarum. Sic se autem habent:

*Et quaecunque Syrus Nicerote solet,
Et quicquid croci casiaeque cinnamique
Udus caesarie spirat delicatus Arabs,
Hoc totus vobis nunc ego ad coenam adfero.*

Descripsi ex codice Modiano, quem quartum nominare soleo. De eo codice Romae a. 1468. scripto vide Prolegg. nostra Martial. p. LXXVII. *Molliculos* hercle versus a Grutero mutuatus est P. Scriverius, qui p. 147. haec scripsit: „Ascribam eosdem et ego, sed aliquanto castigatiores:

*Et quaecunque Syrus Nicerotes olet,
Et quidquid croci, casiaeque, cinnamique
Udus caesarie spirat delicatus Arabs,
Hoc totus vobis nunc ego ad scenam adfero.*“

Castigatiores haud dubie: nam recte emendavit Scriverius v.

1. *olet*, v. 4. *scenam*, quorum tamen alterum poterat a Domitio petere. Vel sic Laberiana non versus, sed versusum laciniae. Idem, quod criticos Batavos fugisse videtur, versus iam centum et quadraginta circiter annos ante Gruterum proditi extant in Domitianis commentariis ad epigr. X, 38. Quanquam quod in Fragmenta Poetarum nondum recepta dicit Gruterus, id in nostra quoque tempora cadit. Veluti apud Bothium, qui Laberiana Poet. Scen. Lat. volumini V, p. 282 sqq. inseruit, frustra quaeras. Domitii haec sunt in editione Veneta a. 1474: „*Nicerotes* pinguentarius sirus fuit. Laberius *Et quaecunque sirus nicerotes solet: et quicquid croci casiaeque cinamique Udu caesareae spirat delicatus Arabs: hoc totum vobis nunc ad scenam afferro.*“

Ista emendaturis ordiendum est a nomine hominis unguentarii, qui utriusque testi *Nicerotes* dicitur, quasi graece *Νικερώτης* dicas. Aeque animo fulerunt et Gruterus et Scriverius. Quos vel Martialis ista XII, 65. admonere de errore debuerant:

*Formosa Phyllis nocte cum mihi tota
Se praestitisset omnibus modis largam
Et cogitarem mane quod darem manus,
Utrumne Cosmi, Nicerotis an libram*

et quae secuntur. *Nicros* igitur nomen fuit, non *Nicerotes*. Insignem pictorem cognominem commemorat Plinius N. H. XXXV, 10, 36.; Spartanus *Νικερώς* comparet in Corp. Inscr. 1229. Ut *Ερμέως*, *Μανέως* celt. *Nicros* igitur Syrus cum aetate Laberii Romae tabernam haberet exquisitissimis odoribus nobilitatam, *Nicerotianorum* et usus et nomen, ut fit, a molliculis hominibus ad omnem posteritatis memoriam transmissum est. Homo dudum interierat, res manebat. Sic Martialis VI, 55.

*Quod semper casiaque cinnamoque
Et nido niger alitis superbae
Fragras plumbea Nicerotiana,
Rides nos, Coracine, nil olentes.*

Malo, quam bene olere, nil olere.

Imitando haec expressit perpetuus sectator Martialis, Apollinaris Sidonius carm. IX, 321 sqq.

*Nam quisnam deus hoc dabit reiectae,
Ut vel suscipiens bonos odores,
Nardum ac pingua Nicerotianis
Quae fragrant alabastra tincta succis,
Indo cinnamon ex rogo petitum,
Quo Phoenix iuvenescit occidendo,
Costum, malobathrum, rosas, amomum,
Myrrham, thus, opobalsamumque seruet?*

Adde Martial. epigr. X, 38, 6. sqq.

*O quae praelia, quas utrinque pugnās
Felix lectulus et lucerna vidit
Nimbis ebria Nicerotianis.*

Laberianorum versum primum quomocumque supplebis — nam varia succurrunt —, exitum hunc habeto:

et quaecumque Niceros Syrus.

Quod pluralem scripsit poeta, *quaecumque olet*, Nicerota pro unguentis ab ipso venundatis usurpavit vel pro myropolio ipsius. Nec obstat versus 4. *hoc totum*; poeta enim id ad unum *quidquid* referri voluit proximum.

Alter versus lutulentus fluit. In quem ubi ex priore demiseris *olet* verbum, videndum an ita rectius currat:

Olet, et quicquid croci casiaeque cinnamique.

Ut *que* particula in fine cum sequentis versiculi vocali coalescat. Id ne quis sumi in senariis quidem praeter aequom opinetur, Plautus eandem libertatem haud uno loco sibi sumpsisse videtur. Tametsi vereor equidem, ne quod Martialis locus, in quo est *casiaeque cinnamoque*, detrimentum importaverit Laberiano. At poterat Martialis ipsa Laberii verba retinere. Is igitur aut sic ediderat ut supra proposui, aut sic:

Olet, et quicquid croci casiaeque et cinnami.

De integritate versus 3. licet dubitare. Habet enim insolentiorē mensuram, cum ultimo loco senarii emergat ana-

paestus. Cuius licentiae quae apud Graecos ferebantur exempla, ea iam correcta sunt; de Latinis ignoro. Sed siquidem Orellio fides Eclogg. Poett. Lat. p. 182., ipse Laberius testimonium dicit, qui auctore Macrobio Sat. II, 7. Caesarem sugillans in scena exclamabat:

Porro Quirites! libertatem perdidimus.

Haec vetustarum editionum scriptura est inde a principe usque ad Ioach. Camerari. Is correxit *perdimus*, quod idem in tribus illis libris manu scriptis reperitur quos infra descripsi. Donec igitur certiora proferantur exempla anceps iudicium haerebit. Sententiae ipsi satis convenit scriptura librorum *delicatus Arabs*. Sed quaeri potest, nonne, ut supra Nicerota Syrum, sic hoc loco Arabem aliquem tum Romae viventem monstrarit Laberius, non illum unguentarium, sed delicatum hominem et luxuria diffluentem. Quanquam id non valde probabile videtur.

Versu 4. optime Domitius *totum*. Laberius iterum Prologi apud Macrob. I. c. versu 22. *quid ad scenam adfero?* Totus igitur locus Laberii in hanc formam integrandus fuerit:

et quaecunque Niceros Syrus

Olet et quicquid croci casiaeque cinnamique

Udus caesarie spirat delicatus Arabs,

Hoc totum vobis nunc ego ad scenam adfero.

Ex prologo aliquo ducta haec esse planum arbitrator. Sed quid obstat, quominus huic frustulo prologum illum merito famigeratissimum adiciam aliquot paucis locis a me ope trium quattuorve librorum relictum, quem Macrobio nos, ille A. Gellii Noct. Atticar. libro VIII, 15. nunc perditio acceptam rettulit? Sic igitur ille:

Necessitas, cuius cursus transversa impetum

Vohuerunt nulli effugere, pauci potuerunt,

Quo me detrusit pacis extremis sensibus.

Quem nulla ambilio, nulla unquam largitio,

5 *Nullus timor, vis nulla, nulla auctoritas*

Movere potuit in inventa de statu,

- Ecce in senecta ut facile labefecit loco*
Viri excellentis mente clemente edita
Summissa placide, blandiloquens oratio!
 10 *Etenim ipsi di negare cui nil potuerunt,*
Hominem me denegare quis posset pati?
Ego bis tricenis annis actis sine nota
Eques Romanus e lare egressus meo
Domum revertar minus! Nimirum hoc die
 15 *Uno plus vixi mihi quam vivendum fuit.*
Fortuna, immoderata in bono aequae atque in malo,
Si tibi erat libitum litterarum laudibus
Florens cacumen nostrae famae frangere,
Cur cum vigebam membris praeviridantibus,
 20 *Satisfacere populo et tali cum poteram viro,*
Non flexibilem me concurvastis ut carperes?
Nuncine me deicis quo? quid ad scenam adfero?
Decorem formae an dignitatem corporis?
Animi virtutem an vocis iocundae sonum?
 25 *Ut hederam serpens vires arboreas necat,*
Ita me vetustas amplexu amorum enecat.
Sepulcri similis nil nisi nomen retineo.

Codices ad haec collatos habeo tris: *Parisinum* bibl. reg. 6371. saec. XI., membran., forma maxima, singulari praestantia. Contuli ipse. Signavi *P.* Deinde *Gudianum* (*G*) 312., apud Ebert. 550. saec. XIII., membran., forma quarta, a *C. P. C. Schoenemann* in meos usus comparatum. Postremo *Montisuessulanum* (*M*) a *Fr. Duebnero* olim inspectum, satis vetustum: sed ut raro editis meliora praebat. His adde editionem omnium principem Venetiis a. 1472. a *Nicolao Iensson Gallico* impressam (*V*), quae ex bono codice ducta est. Ex hac *Brixiansem* a. 1485. fluxisse comparatio instituta docuit. Utrumque exemplar bibliotheca nostra praebuit. Apposui diversitatem scripturae integram.

Versu 1. impetu *G* 3. detrusti *Scaliger*. 4. nulla inquam *G*: nula quem *Bothius*, infirmam ob causam. 5. actoritas *G*

7. lebefecit *G* 8. clementi *Bothius*. 9. Summissa *GP*: Submissa *reliqui*. 10. di negare] dii negare *Camerarius in ed. Basil. 1535.*: denegare *M*: ipsi cui nihil *ū* negare *G* 11. me negare *V* 12. Ergo *GMPV*: Ego *Camerarius et V. C. Meursii*: Ergo annis bis *Bothius*. trigenis *G*: trecentis *P* 13. *Libri omitunt e*: ex *inseruit Bothius*. 15. *om. P* 16. aequē *om. codex Io. Is. Pontani*. 18. Florens *Lipsius*: Floris *libri*. Verissime *Lipsius*, nisi forte versus excidit. 21. Non me flexibilem *Bothius*. 22. Nuncine me deicis quo? *scripsi*: Nunc me deicis (deicis *V*) quo *GMPV*: Nunc me quo deicis *Camerarius*: Nunc deicis quo me *Bothius*: Meam emendationem librorum consensus paene postulat. Ex quibus *deicis* quivis facile perspiciat auctori reddendum fuisse. Pronunciandum bisyllabos, ut apud Virgilium *reice capellas*, ne plura advocem. Labanti ita versui subveni fulcro, si quid video, aptissimo. Commotus *Laberii* animus ab altera exclamatione indignabundus transilit ad alteram. Primum enim praesens senium opponit pristinae viriditati, sic: *Nuncine* me cogis prodire in scenam! *Scenam* autem vix sustinet eloqui praerubore: hinc altera accedit quaestio indignantis: *quo* me, qui adhuc dignitatem tuebar meam, deicis? Utrumque eximie comprehensum est oratione sic instaurata:

Nuncine me deicis quo? quid ad scenam adfero?

Ut quasi medio in cursu orationis subito aliorum flexerit poeta. Sentis iam cur *quo* particula postposita sit; neque caesurae versus insolentia in tali causa te morabitur. Pronomen *me* absorpserat *ine*. adfero *GMP*: affero *reliqui*. 26. edera *P*, sed m. eadem additur *h*. 26. enecat *P*: necat *reliqui*: enicat *Bothius*. 27. Sepulcris *vel* Sepulchris *GV*. Rectius singularem praestant *MP*.

Ut autem versu 25. 26. *necat* et *enecat* sibi respondent, sic supra versu 10. 11. *negare* et *denegare*. Rursus in iis versibus *Laberii*, quibus *Publ. Syri* facetias ultus esse dicitur, a *Macrobio* statim post allatis. Si quidem libros audimus. Ascribam versus:

Non possunt primi esse omnes omni in tempore.

Summum ad gradum cum claritatis veneris,

Consistes aegre et citius quam escendas cades.

Cecidi ego; cadet qui sequitur; laus est publica.

Versu 1. omni tempore omnes *G*: omni in recentioribus edit. quibusdam excidit. 3. ^eagere *G*: agere *M* et citius] nec citius *V*. quam escendas scripsi: quam descendas *GMV*: quam ascendas *P* et *Camerarius*. decides *P* et *Camerarius*: decidat, sed corr. decides, *G*: decidat reliqui. *Primus* cades dedit *Sanadonius*. Pontanus quidem ut versus constaret ita scripsit: *Consistes aegre et, quam descendas, decides* inducta *citius* voce. „Nam id solum“, ait, „voluit *Laberius*, quod is qui ad summum claritatis gradum pervenerit, aegre consistet, imo quod, antequam descendere et locum cedere aliis cogitaverit, ruct.“ At istam equidem argutulam sententiam non omissione vocabuli ab omnibus libris monstrati, *citius*, non usurpatione simplicis *quam* pro eo q. e. *antequam*, redemerim. Iam alii *Senecae* verba comparaverunt: *Ad summum perducta rursus ad infimum, velocius quidem quam ascenderant, revelluntur*. Sed ex dittographia *ascendas* et *descendas* intelligere mihi videor, poetam neutrum scripsisse, sed *escendas*, quod huic loco convenit egregie. Igitur ut supra *neecat* et *enecat*, *negare* et *denegare* respondent sibi, sic h. l. quod in libris est *decides* propter sequens quidem *cecidit* ferri posset, modo propter metrum posset.